

Q. K. 395, 23.

Q. K.  
395,  
23.

X 1903422



Q. D. B. V,

ANNOTATA

Ad

RES PRUS-  
SORUM,

CONRADI SAMUELIS SCHURTZFLEISCH.

WITTEBERGÆ,

Sumptibus Hæredum JOH. BERGERI,

Ex Officinâ CHRISTIANI SCHRÖDTERI,

ANNO M DC LXXIV.

40



2. D. N. 2.  
ANNO TATA  
AB  
RES-PR-LS-  
SORUM.  
CONRADIA M. SCHRODT IRI.

WITTEBERG  
Simplicibus Heribon JOH. BERGER  
et OMNIA CHRISTIANI SCHRODT IRI.  
ANNO M. DC. LXXIV.





I.

**R**ussiam, antequam hoc nomine cognita est, diversæ gentes incoluerunt, sed quæ primas sedes ibi haberint, non perinde in expedito est affirmare. Ego certum habeo, non Herulos, quod ex Wolfgango Lazio & Matthia Stryikio quidam referunt, sed Suevos illic principio consedisse. \*

\* *Jobannes Boëmus mor. & leg. gent. l. 3. cap. 16. tradit auctore Sabellico, Suevos in Livonia & Prussia sedes tenuisse, quanquam autem in hac veteris Scythiæ Europæ parte consederunt, tamen ex Scythia Sarmatica tanquam aborigines non sunt deducendi; non enim possumus, iis assentiri, ut qui omnes Europæ populos, ita etiam Suevos ex Scythia Sarmatica arcessunt. De Veteris Sueviæ amplitudine ac situ vid. Jod. Willichs. cap. 16. in Com. Tac. Germ. Prusii nihilominus rectè annumerantur genti Scythicæ apud Guntherum lib. VI. Helmoldum l. 1. cap. 1. Radevicus quoque eos conjungit cum populis Scythicæ originis, imò & cum Partbis, quatenus per eos Moscovitæ (aliis Turci) denotantur, cujusmodi significatio apud Guilielmum Britonem memoratur, l. 4. Philipp. & cò C. Barth. pag. 277. Nisi tamen Brusci apud Radevicum sint, qui Ptolomeo memorati, coluerunt Ripheos montes.*

2. Cùm verò eam destituerent Suevi, ac relinquerent vacuam, \*\* successere Venedi, ab

A 2

Sarma-

Sarmatis profecti, & cultu, qualis ejus gentis erat, adornatam, commerciis amplificârunt, oportuno regionis situ, atque egregiâ incolarum, fortuna, ut naves quàm sæpissime eò commearent.

\*\* Pars antiquissima Suevia, proprio nomine Æstii dicebantur, qui Prussia tractum incolebant, & colligendo succino operam dabant, Tacit. de mor. Germ. cap. 45. illi ipsi tamen Æstii origine non fuerunt Suevi, licet veteri Sueviâ continerentur, quandoquidem nec lingua societate Germanis conjuncti fuerunt, & tantum ritu habitug, ipsis similes extiterunt, Tacit. ibid. Micr. et. l. 1. Chron. Pom. Nec cum illis facimus, qui Gotbos illic habitasse docent, quippe qui Germaniam cis-balticam incoluerunt, ut ex Plinio & Tacito liquet. Isto ipso tamen conveniunt Gotbi veteres atq, Æstii, quòd utriq, commerciis floruisse, & hi quidem argumento succini, quod legebant, baud dubiè cum ornatus, tum mercatus causa: illorum negotiationes testatur Visby antiquissima civitas, de cujus fato vid. Strelovius Chron. Gutbiland. p. 170. 171.

3. De antiquis Saxonibus apertè palamque scripsit Adamus Bremensis, b. omnem diligentiam adhibuisse, ut patefacto ad Prussos aditu, è portu Slesvicensi solverent, atq; inde in Prussiam mercatus causa navigarent.

a De Prussia qui scripserunt, aliàs permultos allegavimus, neq, hic operæ pretium est experiri vires in refellenda ea opinione, quâ multi persuadentur, primos Herulos insedis, has terras. Et tamen Albertus Wiuk Kojalowitz hist. Lituan. part. 1. l. 1. ita existimat, & sicuti ex Stryikovii annalibus historiam, ita ex Wolfgango Lazio hanc sententiam hausit.

fit. Præterquam enim quòd longè post Gothos Suevosq; inno-  
tuerunt Heruli, diversam ab utrisq; originem habuerunt. Vid.  
post Jornand. Holmold. Chr. Slav. l. 1. c. 2. Itaq; rectè dissen-  
tit Andreas Althamerus tom. 1. p. 34. apud Sim. Scharidium.  
Et propterea, quòd Gothos istic olim habitasse censuit Pb. Clu-  
verius, antiqua Germania partem nuncupavit, Germ. antiq. l. 1. c.  
XI. Prussia sub hoc nomine primò meminit Detmarus Mersebur-  
gensis l. 6. Chron. p. 176. post eum Adamus Bremensis l. 2. Hist.  
E. c. 13. item de situ Danie & reliq. reg. sept. cap. 208. collat. cap.  
227. ubi eadem significatio est Semlandiæ, quæ Prusiæ, atq;  
adeò Semborum eadem, quæ Prussorum. Agmen claudit Hel-  
moldus, de quo alibi dictum est plus satis.

b. Vid. d. cap. 227. & Helmold. l. 1. cap. 1. præcipuum com-  
merciorum genus consistebat in permutatione pellium musteli-  
narum, nam auri argentiq; studio non tenebantur, ut proditum  
est ab Adamo, qui preciosos martures (Latinè pretiosa mar-  
tis vocabulum usurpasset) non Prussorum, sed advenarum, qui  
eam superbis vestibus materiam quærebant, opinione vocat.

4. Sed qui præterita longiùs spectant, non  
dubitant referre, jam diu ante Prussis cum Teu-  
tonibus commercia fuisse, nec temere fecerit,  
qui iis assentiatur, quod Slavorum, ad quos &  
Prussi pertinent, negotiationes antiquissimæ fu-  
erint, & prodiæ iis monumentis, quibus res a-  
etiq; Francorum continentur.

c. Extant sanctiones quedam, quibus isti sententiæ fi-  
dem adhibere possint, capitulare Caroli M. l. 2. cap. 7. apud  
Goldast. T. 3. p. 156. noviss. edit. Constitutio Hludovici regis  
apud Johannem Aventinum l. 4. Annal. Boj. p. 372. unde eam  
sumpsit Goldastus, & inseruit Const. imp. T. 1. p. 210. edit. ejusd.

quibus nominantur negotiatores Slavorum. Verba capitularis, quod dicitur, hæc sunt. De negotiatoribus, qui partibus Sclavorum & Avarorum pergunt, quousque procedere cum suis negotiis debeant, id est, partibus Saxoniarum usque ad Bardenvvich, &c. Ex quibus promtum est colligere, Slavos habuisse communes cum Saxonibus negotiationes. Deinde hinc sequitur, non modò Saxones & Francos, sed etiam Thuringos, Bojos atq; Alemannos in partem istorum commerciorum venisse, quod ibidem indicatur commemoratione Erpbesfurt, Foranbaim, Raginsburg, & similitum. Tum id oportunitas navigationis declarat, siquidem ea ex Pomerania in Prussiam expedita fuit ac prona. Venit in mentem Adamo hujus recordari, dum tradit sequentia. Ubi & Rhuni habitant. Ibi ad Semland provinciam, quam possident Pruzzi, navigatur. l. 2. H. E. c. 12. Leges Hludovici, Arnulphi imp. filii, dum Slavos, sive Venedos exhibent, Rugios & Bojobemos potissimum declarant, sic tamen, ut non protinus excludant reliquos, nec ipsos Prussos, quippe ad quos à Rugis, quos Rhunos Adamus exprimit, commodà navigatione deferri pariter merces, & avchi ab iisdem potuerunt. Sed verò & hoc minimè tacendum arbitrabor, quod Janus Doufa, qui res Belgicas exploratissimas habuit, Hollandie nomen deduxerit à Prussis, quod si perinde certum esset, ac dictum est, foret indicium X. seculo celebrati nominis Prussorum, annal. Holl. pag. 246. Sed verò rectius hoc nomen accersitur à Danis. Hornius orb. imp. period. 2. cap. 6.

5. Hactenus verò ea inter mercantes conluetudo viguit, ut potestas esset commeandi gentibus ad gentes, & permutandi, quæ vellent, siquidem usus ita & ipsarum necessitas exigent:

rent: postea Carolingorum ævo leges additæ sunt, & promulgatæ sanctiones, quibus commo negotiantium publicè cautum provisum- que fuit. Demùm d' Ottonum tempore privilegia concessa sunt ampliora, & formulis confirmata, e ut certus commerciorum locus esset, & solennis conventus mercandi causa, sive id ad dignitatem reipublicæ, sive ad utilitatem pertinere videretur, prædito Prussis exemplo, & quò magis invitarentur ad societatem Teutonicæ negotiationis.

d. *Francorum, etiam Merovingorum commercia nota habeo, & vectigalia eorum nomine pendi solita fuisse, memoriâ teneo, quæ exhibet diploma Chilperici I. Franco-Merovingorum regis A. 575. Tornacensi Ecclesiæ datum: eò minùs dubitare debeo de Carolovingicis, quod scribendo persequi nunc non vacat, & per se intelligi ex paulò antè dictis potest.*

e. *Originem mercatum solenniorum Jo. Gryphander, atq; Jo. Jacob. Speidelius spec. jurid. pol. p. 841. à Dagoberto repetunt in regno Francorum, apud Saxones primùm ab Henrico Aucupe nundinas institutas putant. De neutro id nunc quidem mihi propositum est negare, & libenter concedam de Henrico Teutonicorum rege, atq; de hoc tantò magis, quòd omnes vires intenderet in gloriam suæ gentis amplificandam, Witichind. à Sax. 1. haud neglecturus commercia, quibus jam Caroli M. atate Magdeburgensis vicus celebratus fuerat, argumento capitularis Carolini, seriùs enim atq; ab excessu Henrici I. circumdavi muro, atq; urbibus annumerari cepit: quod indicant Ekkehardus de vit. Notkeri Balbuli*  
cap.

cap. 31. *W. i. i. i. o.* A. Sax. 2. Abb. Sta. ad A. 971. Nos au-  
tem multis, nec dubiis indiciis cognitum habemus, jure, quod  
litteris mandatum est, prima hæc Ottonis M. in Saxonia auspi-  
cia fuisse, qui A. 966. mercatum Bremensem instituit, argu-  
mento diplomatis, quod post Lindenbrogium & Meibomium,  
viros in historia versatissimos edidit Joach. Job. Maderus.  
Formula est, Ottonem concessisse licentiam construendi  
mercatum in loco Bremen, quam compositionem reti-  
net Otto III. in diplomate A. 1001: Herluino Episcopo concesso.  
Stylus ævi hoc contextu noscitur: dedimus jus, fas atque  
licentiam faciendi, statuendi, atq; construendi mer-  
catum: porro & describitur accessione aliorum privilegio-  
rum monetæ, telonii, banni. Huc spectant tabula Hen-  
rici III. imp. A. 1062. Adelberto Hamburgensi Archiepiscopo  
concessæ, quibus eidem dedit utendos fruendos mercatus,  
monetas, telonea. quod documento est, jam antiquissimo  
tempore hoc jus singulare imperatorum Teutonicorum  
fuisse.

6. Et ex quidem res ac officia inter negoti-  
antes erant, nec plura de iis reperi, utcunq; in-  
quisivi, & nostra Prussorumq; monumenta evol-  
vi. Itaque nunc dabo operam, ut omnes intel-  
ligant, antiquam esse hanc rempublicam, & cum  
de ejus initiis quæritur, habuisse indigenas Prin-  
cipes, f quorum imperia postea advenæ mu-  
târunt, siquidem Teutones, à quibus Teutonici  
Ordinis nomen est, bello in Asia haud prosperè  
confecto, reduces in Europam, feliciora arma  
corripuerunt, & Prussos, in quorum ultionem  
exciti



excitati à Duce Masovio fuerant, in suam Germanicamq; imperii ditionem redegerunt. \*

f. Nam non vanâ ratione quis existimet, multitudini illius populi, cum quo una fuit civilis consociatio atq; communitas Alanorum, ex quibus Lithuani orcum habere creduntur, & studio, quod ibi floruit, bellicarum rerum, caput necessarium fuisse, & declarari more ingenioq; Sarmaticæ gentis Principum patientis potest, & testimonio approbat Kojalovvizi9 lib. 1. hist. Lituan. p. 13. & 17. qui dum Strykovium sequitur, unâ complectitur ejus historia partem, quæ ex Cruciferorum monumentis est collecta. Quamquam nec ita certa sunt illius narrationes, ut quum ad ultima Veidevutbi tempora referuntur, procul omni suspitione falsitatis sint. Interim conf. Erasmus Stella de vetustatib. Borussiae l. 2. qui testatur, Alanos Prussosq; promiscuè habitasse, ac Veidevutbum Prussorum pariter & Alanorum Principem natione Alanum fuisse comprobat. Sed in Alana gentis antiquitatibus hesitavit admodum Æneas de Piccolominibus, alius diligentiusq; repetit origines Matthias à Michou de Sarmat. Europ. l. 2. cap. 2. Alb. Crantzius breviter attingit, Vandal. l. 6. cap. 8. Multò minus accurati sunt eorum commentarij, qui mores atq; instituta conditi regum imperij à Veidevutbo deducunt, neq; assentior in omnibus Gordiano Gotbo, cui Stella & Alibamerus quædam accepta ferunt, præsertim quòd Hulmigeriam olim dictam esse existimant Prussiam. Cum quibus sentit Chr. Adolpb. Tbuldenus hist. Europ. ad a. 1655.

\* V. Mart. Cromerus: Salomon Neugebauer, Casp. Henneberger in Chron. Crucif. aliàs à nobis commemorati sunt, quib9 addantur Joach. Curæus Annal. Siles. p. 63. Jo. Micral. Chron. Pomer. p. 273. 276. Aubertus Miræus stat. rel. Pruss. l. 1. c. 49. Job. Gualterius Chr. Eccl. pol. ad A. 1233. nec epim nunc quid addimus de Alb. Crantzio & Dav. Chy-  
B  
erao

trād. Rationes temporum non perinde omnes inveniunt, quas nos subducimus hunc ad modum. I. transactio de bello Prussis inferendo cum Conrado Duce Masovia refertur ad annum 1228. apud. Sal. Neugebauer. rer. Pol. l. 3. p. 133. Conf. Cromer. l. 7. Gabriel Bucelinus existimat annum 1217. primam Teutonicam Ordinis expeditionem contra Prussos insignitum fuisse: ver. Germ. Chron. descript. ad b. A. El. Reusn. Isag. bist. ad A. eundem. Equidem jam ante annum 1228. jus belli inferendi Prussis consecutus fuerat Ordo Teutonicus, quod præter imperatoris atque Pontificis concessionem legitime est pactus, in quantum parti læsæ auxilium tulit, & propter vindicandum ab injuriâ Conradum Masovia Ducem arma sumpsit. Multo minus cum Miræo A. 1215. nominari debet. Anno autem 1209. in Prusiam missi sunt, qui barbaros docerent verum de Deo sensum, Chron. Lauterberg. ad d. A. Nam quod Adelberti ad eos adventum, & cœpta multo ante doctrinæ cœlestis, sed mox à Prussis spreta initia attinet, alibi explanatè & in loco diximus. II. itaque istas rationes approbamus, quæ retinent annum c. l. s. CC XXIII. à Christophoro Manlio congruente acrosticho notatum: quo Hermannus de Salza Magister Ordinis insignia victor primus in Prusiam intulit. Cujus præclarè multis ante seculis meminit Fridericus II. in epistola A. 1247. ad regem Gallia per-scripta, & Fratrem Hermannum magistrum domus sanctæ Mariæ Teutonicorum nuncupat, ac inter fideles suos numerat. Quanquam autem aliàs fidelis imperii non continuò denotet civem imperii, sed finibus beneficiarij juris saltem contineri aliquem arguat, hic tamen utrumq; designat. Hujus ratione Albertus Marchio Brandenb. antequam se Polonia regi in clientelam daret, locum in imperii consessu tenuit, Sleidan. comment. lib. 5. III. Hermannus effigies cernitur in conobio Leubusienfi in Silesia ad Oderam sito: nomen atque titulum vidi scriptum ad hunc modum.

HER.

HERMANNUS DE SALZA SACRÆ  
DOMUS BEATÆ MARIÆ TEUTONICORUM PRUSSIÆ  
DEFENSOR MAGISTER X̄RISTIANORUM  
FIDELISSIMUS

ANNO DOMINI M CC XXX.

OB VIRGINIS MARIÆ HONOREM.

*Alibi hæc legi. Hermannus de Salza Ordinis Militiæ Teuto-  
nicorum Magister primus sacræ domus Vexilla in Prusiam  
Victor traduxit: annus hoc versu denotatur:*

*HerMannVs prVsfos ChrIstI sVb Vota CoegIt.*

IV. Nec tamen Cruciferi ita debellare potuerunt Prussos, ut non insurgerent rursus, & Christiana sacra, quæ se receperant, amplexuros, rejicerent, usq; dum hi ascitis in fœdus alijs Principibus, adigerent, ut datis obsidibus promitterent, Christianam religionem servaturos esse. Aut. paratip. ad Urspergens. ad A. 1254. Sed de auspicijs Cruciferorum Ordinis vid. Raphael Volaterranus, & libro singulari Franciscus Modius: Henricus Bangert. ad Arnold. Lubec. lib. 3, cap. 36. Nam Cruciferi, qui flagellatores dicuntur, aliò pertinent, de quibus est apud Jacobum Mayerum ad A. 1349.

7. Verùm Prussia, quæ Ducibus paret, anno supra millesimum quingentesimo, vigesimo quinto, lege beneficiariâ pervenit ad Marchiones Brandenburgicos, inter quos primus fuit Albertus, g stirpe Zollerana, & li propaginem hujus specto, Onolsbacensi domo ortus, qui novam Ducis Prusiæ dignitatem ad familiam suam adjunxit.

g Johannes Sleidanus commentar. lib. 5. Simon Schardius tom. 4. pag. 74. Salomon Neugebauer bist. Polon. l. 8. pag. 625. edit. Hanov. quæ Francofurtensi multùm præstat,

B 2

Es low

*Et longius porrigitur in contextu historiae regum: Martinus Cromerus orat. pro Sigismund. p. 28. Veniuntq; hic duae Alberti transactiones in conspectum, altera cum rege Sigismundo, altera cum Ordinibus Prussiae, in quantum Duci obnoxia: illius summam continent dicti scriptores, hujus capita exhibet Mich. Gasp. Lundorp. continuat. Sleid. ad A 1566. quorum quaedam, praesertim de jure Culmensi, Et de immunitatibus Prussorum, repetit Jac. Aug. Thuanus, Et de iis stabiliendis in conventu Regiomontano actum fuisse, confirmat ad A. 1582.*

8. Atque hoc demum superiorum bellorum remedium fuit, ut Prussia, cui haecenus Germania jus atque leges dederat, ejus imperio subtraheretur, ac postquam tot injuriis vexationibusque Polonorum exposita fuerat, regno Polonico tandem obnoxia redderetur. Nam quum is Prussiae status esset, ut ab Alberto Magistro, Teutonici Ordinis defendi non posset, atque ejus rei causa Carolus V. ad quem suprema illius jurisdictio spectabat, de auxilio sollicitaretur, hic autem aliis bellis distractus, ope indigentem destitueret, maluit Albertus Polonis cedere, quam irritam imperatorii subsidii spe, omnis sui juris atque ditionis ad se pertinentis jacturam facere, quippe persuasus, necessitatis id, non fidei mutatae fore exemplum, siquidem nemo sit, qui non praepret se liberari, quam perire sub externo hoste. Propterea cum Sigismundo I. rege conven-

conventum est, ut propter tot clades, ac belli calamitates finiendas pax instauraretur, & Prussia, in quantum generali magistro Ordinis subiecta erat, in ditionem regni Polonici redigere-  
tur, à quo eam lege beneficiaria possidendam acciperet Albertus, ac jure hæreditario innixam ad filios, posterosq; transmitteret, aut si hi defuturi essent, successio perveniret ad ipsius fratres Casimirum & Johannem.

h. *Ajebant Poloni, fundum & solum terræ Prus-  
siæ intra fines, limites & circulum ditionis regni Po-  
loniæ contineri ac concludi, vid. diploma, quod dicitur  
concordia, anno 1525: April. 9. Cracoviæ confectum, apud Ja-  
cobum Prilusium tract. de prov. Polon. 2. exaggerabant offensas  
ratione finium regundorum, & illatas injurias, ac spreta su-  
periora pacta & violatum jusjurandum fidelitatis à tempore  
Casimiri præstari solitum, ruptamq; pacem perpetuam, anno  
1436. inter regem regnumq; Poloniæ, & Ordinem Marianum  
initam. V. Litera Sigismundi I. 28. Jul. anno 1520. ad Leo-  
nem X. Pontif. perscripta. Verùm neq; prior, nec posterior  
ratio pondus habuit, & primus acquirendi titulus, isq; ju-  
stissimus belli & transactionis, ac possessio multorum seculorum  
propugnandæ Ordinis Mariani Teutonicorum cause sufficere  
debuerunt. De injuriis pares utrinq; erant querelæ, non ju-  
dicio regis Polonici, qui pars disceptans fuit, sed arbitrario ter-  
minandæ, eò magis, quia non erat in potestate Ordinis pacisci  
præter & contra voluntatem ejus, cui supremum illius terræ  
Imperium competebat, quod citra controversiam fuit penes Im-  
peratorem, estq; argumento ipsamet Casimiriana transactio,  
Regiomontum cum cæteris castris atq; oppidis, districtibusq; o-  
mnibus & universis juribus pleno dominio sub Imperatoris &  
imperii*

imperii clientela atq; suprema jurisdictione mansisse: Prilus.  
p. 200. Quod adeo verum est, ut mutato Alberti erga imperium  
obsequio ac fide, Waltherus Kronbergius in ejus locum surroga-  
retur, & in publicis imperii tabulis subscriberet hoc modo: Wal-  
therus à Kronberg, administrator magni magisterii in  
Prussia, magister Ordinis Teutonicorum per Germa-  
niam & Galliam (in recess. Teuton. Italiam) vid. post Job.  
Sleidan. ad A. 1525. decretum comitor. Spirens. A. 1529: con-  
stitution wider die Widerteuffer S. 7. R. I. 1530: S. 145: 1532: S.  
5. R. I. 1535: ejus vice Eberhardus Etzingen, A. 1541: 1542:  
1544: rursus eum representavit legatus: eadem subscriptione  
Wolfgangus conspicitur in R. I. altero A. 1544. & 1545: 1548:  
1551: 1555. 1557: 1559: post Wolfgangum nomen administratoris  
magisterii in Prussia subsignavit Georgius 1566: ejus loco lega-  
tus 1567: 1570: A. 1576. Henricus, & vice ejus Volbrechtus  
Swalbacensis, ac 1582. Johannes Achilles Isung, 1592. Maxi-  
milianus Archidux, & qui ejus vicem gessit Johannes Eusta-  
chius Westernachius, 1598: A. 1603: nomine ipsius Christopho-  
rus Thumb, 1613: iterum Westernachius, 1641. Johannes Ca-  
spar, 1654. Leopoldus Wilhelmus, ejusq; tanquam administra-  
toris Magisterii in Prussia legatus. Quod indicio sit, Prussi-  
am, qua ad ordinis Mariani ditionem pertinuit, nondum ab  
Imperio Germanico pro devicta fuisse habitam, nisi Austriæ  
Electori Friderico Wilhelmo A. 1657: supremum in Prussiam,  
jus à rege regnoq; Polonia petenti, ipsimet suam in eo negotio  
operam navassent, & quia tunc de concordia inter regem Jo-  
hannem Casimirum remq; publicam Polonicam & predictum  
Electorem restituenda agebatur, omni studio atq; interposita,  
per legatū auctoritate effecissent, ut petitionis compos fieret, &  
consequeretur supremum Prussiae ducatum. Enimvero Baro  
Lisola, Orator Leopoldi Caesaris, hanc causam enixissime tu-  
endam suscepit, & ut Brandenburgicus firmo atq; indubitato  
pacto

paçto talẽ, neq; posthac à rege & republica Polonica dependentẽ  
ducis dignitatem obtineret, elaboravit. V. autor Maxim.  
Gallic. p. 5: item scriptor Polonic. Maxim, & acta, quæ dicun-  
tur, præliminaria transactionis Velaviensis. Quod tamen si  
Imperium non expressè ratum habuit, tamen pro tacito ejus  
consensu adferri argumenta possunt, eò quòd neq; paciscentes  
super eo negotio interpellasset, neq; paçto inito, cujus notitia,  
ad omnes pervenerat, contradixisset, neq; dissensũ quòquomodo  
ac ulla solenni formula testatum fecisset: quinimo hanc, dum  
maximè suscipi debuit, causam deseruisset, & voluntatem,  
Cæsaris, qui ad pacem & paçtum istud vebementer tunc incli-  
nabat, tacitè approbasset, veteriq; adeò prætensionem talẽ in mo-  
dum renunciaße non sine causa videri posset. Propterea si prima  
Alberti transactione tanquam in præjudicium imperii facta, ju-  
dicio Caroli V. imp. rescissa est, & quia is in proposito persevera-  
vit, proscriptione imperiali multatus est, apud Sleidanum com-  
ment. l. 7. & 8: postea tamen gravibus de causis, & deprecanti-  
bus pro eo necessariis mitius hæc res tractata est, ac decretum,  
ut per intercessionem de causa cognosceretur, lib. 26.  
Ab eo tempore cum se abdicasset imperio Carolus V. conquievit  
quidem ista controversia, sed ejusmodi significatio animi atq;  
voluntatis, quæ ad derelicti titulum sufficeret, nondum exta-  
bat, quo factum est, ut juris conservandi causa Waltherus  
Cronbergus, & qui ei suffecti sunt, titulo Magistri Ordinis u-  
terentur, neq; ab eo unquam abstinerent. Verum enim verò  
præterquam possit esse dubium, utrum sola illa & præter alia  
juris documenta tituli scriptura ad sustinendã prætensionẽ legi-  
timam ac validã sufficiat, id quoq; est in ambiguo, an, si manente  
etiam usu tituli, alia derelinquendi signa appareant, & ita  
comparata sint, ut præsumptione certiori, quàm ea est, quæ à  
solo tituli usu colligitur, innitantur, in lance hujus judicii præ-  
ponderent, nec ne? quorum illud quidem videtur esse affirman-  
dum.

dum. Nam id nunc ~~non~~ afferam, quòd quidam jurispruden-  
tes existimant, imperium esse ex genere earum rerum, qua pro-  
pter non usum statim pereant, & si non adsit caput imperans  
protinus esse desinant, siquidem id dubium censi possit, nec  
ita unquam definitum, ut certi aliquid statuere liceat. Nam iste  
non usus si à non utendi & non retinendi domini animo pro-  
ficiscitur, & per validas presumptiones ac sufficientes conjectu-  
ras intelligitur, non repugnaverim huic sententia, cum per ra-  
tiationem à constitutione imperiorum desumptam, & per  
viam juris socialis explicatam, omninò ita affirmandum esse  
videatur. Illud sanè in parte hujus argumenti extra omnem  
dubitationem est positum, Magistrum Teutonici ordinis, post-  
quam petenti auxilium non quidem denegatum, sed non in-  
tempore summum sum est, se pro eo, qui extra imperii ditionem  
est, gessisse. Quinimo jam tum anno 1512: de mente Magi-  
stri Mariani Ordinis subdubitatum est, imperii ne membrum  
profiteri se vellet, annon? R. I. 1512: §. 26. Den Hochmeis-  
ter auß Preussen belangend / ist betracht / nach dem der Hans-  
del begehrtet Hülf an uns und die Ständt merklich groß  
ist / auch noch nicht wissend / ob der Hochmeister sich / als  
ein Glied / zum Reich thun wölle / oder nit / & qua ibi se-  
quuntur auxilii, quod flagitaverat, dilationem attinentia.  
Quamobrem Carolus V. in literis ad Albertum scriptis ita aptè  
decenterq; stylum temperat, ut ipsū ad concordiam & ea pra-  
standa, qua praecessores ejus regibus Poloniae praestiterunt, ex-  
hortetur, quanquam salvo suo & imperii jure, apud Prilusium  
p. 224: ut ex actis sequiorum temporum doceri potest, con-  
statq; alias, tunc saltem fuisse disceptationem de jurejurando,  
quod ab Alberto recusatum est, quia si id maxime praecessores sui  
Casimiro regi praestitissent, tamen id fuisset contra pacta supe-  
riorum temporum, Sleid. lib. 5. & 8. Neq; tamen nos diffite-  
mur, posteriora pacta futura fuisse valida, si, dum ea coalesce-  
bant,



bant, Imperatoris atq; Imperii consensus intervenisset. Et si  
autem ab initio non fuit legitima, & auctor ejus non potest ab-  
esse à culpa, tamen quin tacita postea concessione convaluerit,  
vix licet quòd ambigamus. Spectat atq; eò imprudentia Magistri  
& totius hujus ordinis, qui, cum de Prussia in formam circuli  
imperii redigenda anno c1o 1o XII. in comitiis Trevirensibus  
consultaretur salutari consilio repugnârunt, & Polonis adeò  
invadendi se, ac mutandi status sui occasionem dederunt. V.  
acta Comitiorum Trevirens. ad d. A. Gold. de reg. Boh. lib. 2.  
c. 16. n. 2. Veruntamen Gedanum & Elbinga olim circuli Saxo-  
nici jure continebantur, si maximè provincia ipsa non describe-  
retur in peculiarem circulum. Spreng. Luc. p. 68. Jamdiu  
autem est, quòd Gedanum & Elbinga Reipublicæ Polonicæ an-  
numerantur, & Gedanum insuper suffragium habet in Comi-  
tiis Polonicis, non secus atque Cracovia & Vilna, apud Pias-  
cium Chron. Polon. ad A. 1632. Ex quo intelligitur, præter  
Senatores ac ordinem equestrem, dictas Civitates quoq; suffra-  
gio esse præditas: sed hæc aliò pertinent.

9. Alberto, qui primus Ducis titulo ac-  
quisivit Prussiam, anno c1o 1o LXIX. successit filio  
Albertus Fridericus, Princeps valetudine & ani-  
mo imbecillis. Is cum regendo ducatu esset im-  
par, beneficio regis Sigismundi reiq; publicæ ipsi  
datus est curator agnatus proximus Georgius  
Fridericus, quò & provideret rationibus infirmi  
Ducis, & vice ejus Ducatum Prussiæ administra-  
ret, fide priùs, quàm id munus consequeretur,  
jurejurando data, si Albertus Fridericus vires &  
pristinam judicii facultatem reciperet, ac filios

C

exMa-

ex Maria Eleonora conjuge susciperet, se sine ulla interposita mora de administratione provinciae decessurum esse. Antequam verò hæc fierent, & rex resq; publica hoc extremum curandæ Prussiae auxilium experirentur, agnati Brandenburgici ad societatem inaugurationis beneficiariae admissi sunt, i. ea lege, ut siquid Alberto Friderico humanitus eveniret, successio ad ipsos deferretur: præcipuè Septemvir Brandenburgicus in eo operam ponebat, ut & dignitatis suæ, & obtinendæ successionis causa legati ab se missi vexilla contingerent, atq; eo ritu Principum more institutoq; jus in Prussiam sibi & suæ familiæ paciscerentur.

i. *Quid actum fuerit, cognoscitur ex diplomate inaugurationis, in quo hæc leguntur.* Sacra regia majestas celsitudinem vestram (*Albertum Fridericum*) per vexilli traditionem solenni ritu de feudo ducatus Borussiae investit, ac cæterorum Marchionum Convasallorum (*Georgii Friderici Marchionis Anspacensis, Joachimi Friderici Electoris*) oratores ad contactum extremitatis vexilli clementer admittit, etc. *Inter convasallos quoque fuit Septemvir Brandenburgicus Joachimus Fridericus, quem & denotare voluit Paulus Pfafecius Chron. p. 4. dum scribit. Electoris quoque Brandenburgici Legati vexillum insignæ istius fiduciae (qua dictione feudum, licet non satis bene ac convenienter, indicat) simul (quasi eodem jure successionem ejus spectantes) contingebant. Vigore hujus pacti beneficiarii Johannes Sigismundus Georgio Friderico,*  
*Alber-*

*Alberti Friderici patrueli & curatore, ac Joachimo Friderico Septemviro, ad quem ab excessu Georgii Friderici munus curatoris delatum est, mortuis, Prussia ducatus anno c13 13c XI. adeptus est, atq; Annam Alberti Friderici ex Maria Eleonora Juliacensi filiam in matrimonio habuit. Piasecius chron. p. 274. Quamquam autem contra primam inaugurationem in comitiis Lublinsibus anno c13 13c LXIX. factam obtestati sunt Nuncii terrestres, & haud dubie eò digitum intendit Piasecius, quando tradit, Electorem Brandenburgicum quasi successionem spectasse, tamen postea diversis ac non dubiis privilegiis jus hoc confirmatum, & missò in possessionem ejus ducatus Johanne Sigismundo, re ipsa atq; opere anno supra millesimum sexcentissimum undecimo est impletum.*

10. Cum Electores Brandenburgici hunc ad modum dominio beneficiario ac secura possessione Prussiae fruerentur, anno c13 13c LVII. Fridericus Wilhelmus, excelso animo princeps, transactione Velaviae cum rege regnoq; Polonico inita, novo & memorabili exemplo supremum ejus ducatus imperium acquisivit, hoc jure atq; titulo pro se & omnibus maribus, quotquot deinceps ex familia Electoris recta serie descendent, separatim à Germaniae rationibus retinendum: *k.* si verò iis omnibus ac singulis quid humanitus eventurum esset, & tota adeò propago Electoris praeter expectationem & contra vota omnium deficeret, statutum mutuo consensu est, uti Prussia pristinam juris beneficiarii con-

ditionem reciperet, atque eâ lege ad ipsius agnatos rediret, tamdiu certo stabiliq; jure permanfura, usq; dum stirps Marchionum Brandenburgicorum in rebus humanis vigeat, ac habeat legitimos succeslores.

k. *Vehementer errant, & vim actorum veritati adferunt, qui eam pactiõnem appellant Bambergensem, ut actor maximarum status Polonici Germanicè anno 1670. editarum; nihilo verius docent, qui transactionem Brombergensem nominant, ut Pacificus à Lapide in Monzamban. not. & strict. p. 51. Velaviensis enim dicenda fuerat ab oppido Prussia, in quo XIX. Septemb. A. cl. l. c. LVII. coaluit, nomen sortita, quæ extat in tractatibus pacis Colonia evulgatis: unde 1. conficio, masculos descendentes ex linea electorali ratione atq; contemplatione primi acquirentis Friderici Wilhelmi veros ac legitimos supremi Prussiae ducalis imperii heredes esse: 2. agnatos lineæ sive domus Culmbacensis atq; Onolsbacensis in casu deficientis lineæ electoralis postliminiò futuros esse regis & regni Polonici beneficiarios, seu Vasallos ratione Prussiae ducalis, quã, si ad orbitatem redigeretur linea electoralis, primò domus Culmbacensis, sive Baruthina & hac extincta, Anspacensis obtineret. 3. excipi præfecturas Butoviensem & Lauenburgensem, quas elector ac heredes successoresq; ejus jure pacti Velaviensis titulo beneficiario possidebunt. 4. isti pacto convento banc legem à rege reg; publica Polonica dictam esse, ut quanquam Prussia ex feudali facta est allodialis, tamen ideo Germania non accreverit, siquidem contractui Velaviensi ea lex data fuerit, ut elector non ratione imperii Germanici, sed ex alia causa, ac separata civitatis jure supremum Prussiae ducatum obtineret: quam legem rex ac respublica Polonica dare non dubiè poterant, quia penes utrumque tunc jus dande bu-*  
jus

jus legis erat, in quantum utriq; summum Prussia imperium  
competebat, quod extincta in solidum familia electorali recu-  
perabunt quoq; & redeunte ad agnatos dominio utili, reci-  
pient Prussia dominium directum. Quanquam autem id  
ab initio legitime & à non domino sit acquisitum, tamen po-  
stero tempore presumptione derelicti & longa possessione ac pra-  
scriptione temporis convaluit, ut regi reig; publicæ alienan-  
di supremi Prussiae imperii potestas esset. 5. Quocirca non fa-  
cimus cum Philippo Andrea Burgoldensi notit. imp. part. 1. p.  
170. & Pacifico à Lapide in not: & strict. p. 51. qui opinantur,  
Prussiam ducalem ab Electore Friderico Wilhelmo rursus im-  
perio Germanico adjunctam esse. Johannes Wolfgangus Tex-  
tor de rat. stat. cap. 19: p. 631: non ita quidem audacter hoc  
affirmat, existimat tamen, aut saltem eò inclinatur, ut putet,  
electorem teneri ad Prussiam Germaniae postliminiò innecten-  
dam. Cujusmodi denuò incorporandi, ut loquitur, obliga-  
tio haud difficulter per ea, quæ diximus, convelli potest. 6.  
Quod alioqui pactum supremi Prussiae ducatus ad transversa-  
les non sit extendendum, facile ex formulâ ejus liquet, quam  
adscribere huc non gravabor, ut fontes, ex quibus hos rivu-  
los deduximus, in promptu habeantur, qui cujusmodi sint, con-  
stabit ex sequentibus. Ducatum Prussiae iis finibus cir-  
cumscriptum, quibus Serenissimus Elector illū olim  
jure feudi, ante hoc bellum exortum possidebat, ipse  
deinceps & descendentes ejusdem masculi, ex toro  
ejus legitime procreati, indeq; descendentes omnes,  
donec quisquam supererit ex descendentes masculis  
suae serenitatis electoralis jure supremi domini  
cum summa atq; absoluta potestate sibi habebunt,  
possidebunt, regentq; absq; omnibus antehac præsti-  
tis oneribus. Quanquam verò serenissimus Elector  
ejusq; descendentes omnes masculi omni prorsus va-  
salla-

fallagii nexu, quo hactenus regi & reipublicæ Polo-  
niæ obstricti fuerunt, iisq; omnibus, quæ inde de-  
pendent, liberentur, non tamen perpetua feudi a-  
lienatio inde sequitur: sed deficientibus masculis ex  
præmemorata linea legitima electorali descendenti-  
bus, serenissimis regibus & reipublicæ Poloniae jus  
suum integrum in præfatum ducatum reservatur, &  
tali pacto præfatus ducatus à republica Polonia non  
avelletur, quæ tamen reservatio interim ante casum  
existentem, juri supremi dominii serenitatis suæ ele-  
ctoralis, ejusq; descendendum nullo modo præju-  
dicabit. Promittit etiam sua regia majestatem pro  
se, quàm successoribus suis, se in casu non existen-  
tium descendendum specialem habituros rationem  
agnatorum serenitatis suæ electoralis, nimirum do-  
mus Culmbacensis & Onolsbacensis: & officia colla-  
tuos apud regni comitia, ut casu caducitatis existen-  
te, etiam illi alii præferantur, & ad successionem  
præfati ducatus admittantur, sub iisdem feudi con-  
ditionibus & obligationibus, quibus antehac sere-  
nissimus Elector ejusq; antecessores illum vigore in-  
vestituræ possederunt. 7. Est autem inter agnatos Ele-  
ctoris successione proximus Marchio Culmbacensis, & si Ele-  
ctori heredes masculi defuturi essent, Prusiam ducalem tan-  
quam vacuum, sibiq; jure beneficiario, certè in electore Joa-  
chimo Friderico per investituram acquisito, & subsequentibus  
temporibus ac novissimis pactis confirmato, debitam heredita-  
tem aditurus: siquidem hoc pacto cautum sit, ut agnati, id  
est, suo quisq; ordine, ad dominium ac possessionem beneficia-  
riam Prusie ducalis admittantur, neq; liberum sit reipublicæ,  
quesitum agnatione jus adimere, aut quoquomodo interver-  
tere, sed id omne salvum atq; integrum conservabit, quod a-  
gnatis,

gnatis, posito eo deficientium masculorum electoris casu, ut hereditibus postliminiò feudalibus debetur: Nam hi non tanquam heredes nexu beneficiario soluti, & tanquam sui juris ac ut vocantur, allodiales, sed tanquam feudales succedent. 9. Cæterùm executioni hujus pacti datus est annus supra millesimum sexcentessimum sexagesimus tertius, facta illius juris, quod anno superiori quinquagesimo septimo datum impertitumq; fuerat, die 18. Octob. solenni declaratione, ut ejus, cujus Prussia ratione vasallus antea fuerat, nunc socius fieret atq; fœderatus, quod colligas ex his pacti Velaviensis verbis: quoties autem, finito hoc bello (Suedo-Polónico) novum aliud bellum contra Serenissimum regem ac rempublicam Poloniae orietur, sua serenitas electoralis ejusq; descendentes (ex pacto, non dominio, qualem antea viguit) tenebuntur, 1500 pedites, & 500 equites regi ac regno Poloniae subministrare, &c. 10. De episcopatu Warmiensi quoq; constitutum est, eo jure, quo antebac, possidendum esse, quod argumento sit, nondum esse donatum jure seculi: usi id quidem cum rege Suedie conventum fuisse, non sine stomacho ipse confitetur Andreas Olsowskius cens. cand. Pol. Per moleste sanè ferebat Jobannes Sigismundus, quod Simoneta Episcopus Fulinatensis, tanquam Nuncius Apostolicus sibi inaugurationem Prussiae beneficiariam adeptus, obnunciasset, & propter suppressos Sambie & Pomesaniae episcopatus palam contradixisset, Vid. Paul. Piassec. ad A. 1611. Verùm neq; tunc, neq; postea, neq; in hoc pacto Velaviensi ejus facta contra obtestationis ulla ratio habita est. 11. Tum id mirari subit, quid fuerit, quòd Electori ante hoc pactum 19 suffragii in Comitibus regni ratione Prussiae deposcenti respublica annuere gravaretur: apud Piaseciū chron. ad A. 1632. & 1633. Quod sanè ejusmodi est, ut intelligamus, Polonos secreto erga Electorem Germanosq; metu, noluisse eum in regni senatum & electionis con-

siliū

ax  
Tm  
3397

filium admittere: non secus, atq; Germani olim regem Bohemiae Vladislaum, quod idem esset Polonia rex, anno clō cccc LXIIX. Senatu electorum Germanicorum prohibuerunt, atq; ea ex causa postero tempore reges Bohemia quoq; amiserunt jus Comitiorum Imperialium. 12. Quapropter Christiani Ludovici Kalcksteinii machinatio contra Velaviense pactum fœda sanè fuit, quæ ne ageret radices, ac malum serperet ulterius, autor intra conatum deprehensus, ac Regiomontum abductus est. Cujus mores & fatum singulari scripto comprehendit quidam anno clō Ioc LXXI: conf. Henricus Brewerus lib: 3. hist. decennal. p. 254. 13. Non sinit angustia spatii, ut omnia hic adferamus, nisi quod addere visum est de diversis pactis & privilegiis primam Alberti Marchionis Anspacensis investituram secutis, cujusmodi vigente adhuc priori Marchionum linea, quæ in Alberto, ejusq; filio Alberto Friderico, & Alberti fratribus Georgio, Casimiro ac Johanne non diu duravit, hæc fuerunt: Petricoviense anno clō Ioc LVI. Lublinense, anno clō Ioc LXIIX: quo linea Electorali quoq; jus est partum, & priorum marchionum familiam extinctam, solenni demum possessione Johanni Sigismundo confirmatum: mox verò & præter familiam electoris tale jus jam ante adeptam, Marchionum altera quoq; linea atq; adeo domus Culmbacensis & Onolsbacensis pactione Bidgostiensis cum Sigismundo III, in ea obtinuerunt successionem in Prussia ducatum, si casus caduci esset, ac deficeret linea electoralis. 14. Utq; nunc est succedendi prerogativa inter duas dictas lineas, ita olim quoq; constituta fuit prerogativa majoratus inter predictos fratres, Georgium, Casimirum & Johannem.

Erratum extantius §. 8. l. 5. vexatiobusq; pro quo legendum: vexationibusq;.



1012

AC



R.K. 395, 23.  
A.K.  
395,  
23.

X 1903

RE  
CONRAI



Sum  
Ex Offici

IS.  
FLEISCH.  
ERI,  
OTERI,



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak** LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

